



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 71. Quid observandum sit circa directionem scrupulosi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

terrumpit, inter orandum circumspicit vel fabulatur, est laxus: qui verò anxiè precatur, sèpius subsistit pro attentione habenda, eadem repetit, est scrupulosus; & ita de aliis materiis. Atque ex his facilè est colligere, quisnam habeat conscientiam timoratam & bene formatam, nempe qui in his aliisque medium tenet.

*Q. 71. Quid observandum sit circa directionem 527  
scrupulosi. R. seqq.*

§. I. Curam dirigendi scrupulosum non admittat Confessarius, nisi ille ostendat, se credere, quod Confessarius possit & velit eum bene dirigere, simulque spondeat constantiam apud illum, confidentiam in se aperiendo, obedientiam in sequendo, etiam seposito proprio judicio, hoc enim est facillimum & ferme unicum medium tales homines juvandi, quo si utantur, etiam securè procedunt, ut dicitur n. 540.

§. II. Confessarius ante omnia videat, quæ sit 528 causa scrupulorum, & conetur eam amoliri, debet enim agere, sicuti prudens Medicus corporis, qui explorat morbum & causam ejus, priusquam medica menta applicet.

§. III. Plerumque mitis fit erga scrupulosum, ne 529 afflito afflictionem addat: quandoque tamen etiam juvat austерitas, ut expugnari possit tenacitas iudicii in pœnitente.

§. IV. Resolutè ei respondeat, non hæsitans, nec 530 multùm distinguens, sed absolutè enuntians, quid faciendum sit, semper sequendo partem benignior em, & dubitationes ejus interpretans in meliorem partem; nunquam autem det rationes sui responsi, quia has postea scrupulosus examinat, sibi que reddit dubias, ac se magis implicat.

§. V. Non patiatur sibi proponi quoscumque 531 scrupulos & dubia, sed quando moraliter certus est

scrupulum afferendum, dimittat etiam ad communionem non auditum, quia hæ interrogationes & frequentes recursus ad Confessarium sunt veluti stricatio scabiei, inquit *Crombezius* l. I de perf. c. II, quæ quidem placet, sed nocet.

532. §. VI. Quandoque suaviter irrideat, dum proponit aliqua minus prudentia dubia, jubeatque cogitare, quid responsurus esset, si ab alio interrogatur, mandetque id ipsum facere.

533. §. VII. Sollicitè monendus est, ut nulli scrupulo cedat, sed directè contra eum operetur, v. g. si scrupulum habeat, quasi peccet, si transiens Sacerdotem non deponat pileum, jubeatur transire tecto capite; si enim sic cogitet, hac vice deponam, pro securitate ne peccem, hac vice tantum, ut sim quietus &c., hoc ipso paulatim inducit apprehensionem obligationis, & vehementer auget suum malum: imò docendus est, quod cedendo scrupulis peccari possit, v. g. quia per scrupulos nocetur corpori & animæ, impeditur multa bona, superbè defenditur judicium proprium, non satìs estimatur Dei bonitas, sed occurrit scrupuloso velut Tyrannus, qui torturâ hominis delectetur, vel nobis quasi ponat laqueos peccandi.

Qui plura voluerit pro consolandis juvandisque ejusmodi hominibus internè affictis & anxiis, legat inter Epistolas *Ludovicus de Ponte*, post ejus vitam annexas, Epist. 16. 17. & 18, ubi planè solida & profundè spiritualia circa hæc documenta tradit.

534. Q. 72. Quenam præterea regulæ servire possint scrupuloso. R. seqq.

§. I. Quod nimiam difficultatem assert, non est moraliter possibile, unde ad illud nec Deus nec Ecclesia obligat, ita *Regin.*; & hanc regulam applicare potest plurimis materiis, v. g. scrupulosus dicere potest, mihi nimis difficile esset confiteri, quidquid me inquietat,